

III. Statuimus, ut nullus Veneticus pecuniarum suam ad quemlibet Grecum dare debeat, unde mancipia emant: & nullus Veneticus ultra Polam mancipia trasportare, neque de terra Gracorum.

IV. Statuimus ad quemlibet hominem Grecum, vel de nostra, vel de aliis locis pretium tollere presumat propter mancipia inde illac portando.

V. Aliter hoc malum est inusitatum vitium, & in nostra exerevit patria; quia nostri homines accipiebant epistolas de homines de infra regno Italico, & de Bajovaria (Baviera): similiter & de Saxonia, & de aliis partibus, & eas ad Constantinopolim ad imperatorem deferebant, unde magna vituperatio erat in nobis, & in nostra patria, & dishonore in nostras cartulas, quas ad Imperatorem pro salutatione nostra mittere consueveramus, & ad magnam utilitatem erant recepte, & pro nihilo eas habebant. Nunc autem omnes nos hoc malum emendare decrevimus, & statuentes statuimus, Ut nullus Veneticus epistolas de Longobardia, nec de Bajararia, nec de Saxonia, nec de ullis aliis locis, in ultra Constantinopolim portare presumat nec ad Imperatorem nec ad ullam alium Grecum hominem, nisi tantum illas, quas consuetudo est de nostro Palatio.

Si quis autem hanc nostram Constitutionem &c. componat in Palatio nostro auri obrizi libras quinque, & si non habuerit que componat amittat vitam, aut membra, & omnia sua in publico redigantur.

Et insuper nos Bonus Patriarcha cum nostris Fratribus & Episcopis ita statuimus, quia homo ille qui hoc fecerit, anathematizatus erit, & alienus a Corpore & Sanguine Domini.